



44

Handwritten text on the right edge of the page, partially visible.

THESES  
DE IVSTITIA ET  
IVRE EIVSQUE PARTIBVS  
SEV SPECIEBVS ATQVE CAVSIS.

EX PRIMO PANDECTARVM LIBRO  
desumptæ,

QVAS

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO D. PAVLO  
GRASECCIO I.C. CELEBERRIMO, ET IN  
Inclÿta Argentoratensium Academia  
Professore,

Disputandas proponit

*M. Philippus Reinhartus Francofurtanus.*

*Ad diem 3. Maij.*



Argentorati, Excudebat Antonius Bertramus.  
cl. l. xclv.

Hg 104



V. C.

IOANNI BAPTISTAE EYSEN  
I.C. GENEROSI ET INCLVTI D. LVDO-  
uici, Comitis Leonsteinij & VVerthamij, D.  
Scharpfeneckij & Breubergi, Domini mei  
clementis, Consiliario

D. D. LIB. MER.

*Philippus Reinhartus Francofurtanus.*



7. A. 2727

## THESIS PRIMA.

**V**erè scripserunt, qui Iuris auctores proprietatis in verbis retinentissimos esse tradiderunt.

2. Et sanè est eius, qui non supinas & natantes, sed breues & adstrictas rerum voces amat, singula ambigua verba, vt singulos scopulos vitare.

3. Quid isti qui studio & malo certandi ambitu diuersi eunt? An non in literarum sepiusculè tendiculis, & verborum aucupijs ludunt, & aliorum simplicitati illudunt?

4. Ita est. Nos ergo de Iustitia & Iure eiusq<sup>3</sup>, speciebus atq<sup>3</sup>, causis acturi, veram significationem dare primum conabimur.

5. Ius significat vel obiectum iustitiæ, a. cuius scientiam profitentur b. Iureconsulti, vt cum dicitur, ius naturale, gentium, ciuile: id quod ἐπιστήμη scientiam vocamus. a. l. pen. D. h. t. b. l. 1. D. h. t.

6. Vel significat eius obiecti θεωρίαν & cognitionem quam θεωρητικὴν ἰσχυρίαν appellare possumus. a. d. l. 1. in pr. b. l. 10. D. h. t.

7. Non rarò ipse locus in quo ius redditur, ius vocatur. l. 11. D. h. t. Varro lib. 4. de ling. Lat.

8. Sunt & aliæ significationes. Sic ius pro necessitudine sumitur: a. pro licentia aliquid faciendi b. pro eo quod priuatim alicui in re quadam debetur. a. l. vlt. D. de Iust. & Iu. & l. 34. de pact. b. l. 1. D. de rerum diuis.

9. Ita τὸ νόμιμον legitimum, & τὸ ἴσον æquum ius dicitur. l. 11. D. d. t. Aristot. lib. 5. Eth. cap. 1. Queritur heic, vtrum etiam iniquum ius sit, & an prætoris vel iudicis iniquæ sententiæ sit parendum. Quod videtur l. vlt. D. de iust. & iu. l. 65. §. 2. D. ad Senat. Trebell. Imò non videtur.

10. Vnde verò dictum sit ius, Grammatici herè & hodiè certant. Ius, aiunt, primum & simplex est nomen, & ab eo iustum, à iusto iustitia fluit, quasi Iuris status, vt Isidorus ait, quod in eo ius stet.

11. Vlpianus huius rei valde bonus existimator, Ius, ait, à iustitia appellatum est. Hæc enim origo rei. l. 1. D. h. t.

12. Sin' ad nominis deriuationem abis, à iussu descendisse ius clarum. Agric. lib. 1. de Inuent. Dial. Atq; ita Pomponius Festus priscos Iura nuncupasse Iusa scribit.

13. Iustitia autem est constans & perpetua voluntas ius suum cuiq; tribuendi. l. 10. D. h. t. Inst. in pr. h. t.

14. Atq; hanc definitionem cum bono veritatis retinendam esse dicimus. Istud quoq; fixum sit, etiam si nemo perpetuo iustus sit iustitiam tamentalem semper esse. Nam heic vt ὁμοειδὲς ἐστὶν consideratur, & συνωνύμως in quid vt genus de specie predicatur.

15. Imò & iustus, quia iustus, semper est talis: nec iustus dicitur, etiam si iuste agat, nisi si βεβαίως καὶ ἀμετακινήτως ἔχωρ ὡς ἀπὸ τοῦ ἴου vt ait, Aristot. lib. 2. Eth. cap. 4.

16. Iuris autem studium probe definit Celsus, artem boni & equi. l. 1. D. h. t.

17. Vlpianus diuinarum atq; humanarum rerum notitiam, iusti atq; iniusti scientiam. l. 10. in fin. D. h. t.

18. Nec quia legum alternæ q. vices sunt, & in nostra Repub. æternum nihil est, sed omnia in fatalem istum mutandi gyrum abeunt, scientie nomen amittit ius. Est enim duplex Scientia. Alia τὸ ἀεὶ de eo quod perenne est: Alia τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πᾶν de eo quod plerumq; ita se habet. Docet hoc Aristoteles lib. 1. metaph. cap. 2.

19. POSITIONES IURIS sunt duæ: Publicum Ius & priuatum. Istud ad statum rei Romanæ spectat: hoc ad singulorum utilitatem. Publicum ius in sacris, Sacerdotibus & Magistratibus consistit. Priuatum tripertitum est. Collectum etenim est aut ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut ciuilibus. l. 1. D. h. t.

Quæst.

Hinc male asserere eos concludimus, qui iuris & iustitiæ originem ex mera opinione & instituto hominum trahuunt.

20. Naturale ius est, quod natura omnia animalia docuit. l. 1. D. h. t. Inst. de iu. nat.

21. Hinc maris atq; fœminæ coniunctio descendit, quæ legitima est & naturalis, vt testatur quoq; Plato lib. 1. de ll. Aristot. lib. 1. Oecon. cap. 3.

22. Hinc liberorum procreatio. φυσικώτατον enim & maximè naturale est, procreare sibi simile, vt ad immortalitatem, cum in individuo

uiduo non liceat, in specie adspirare possimus. Aristot. lib. 2. de Ani-  
cap. 4. & 1. Oecon. 3.

23. Hinc educatio. Vlp. l. 1. §. 3. h. t. Inst. de iu. nat. Hinc  
etiam sui ipsius defensio.

Sed utrum ad hanc sui defensionem paritas armorum requiratur, *Quaest.*  
ut sit iusta, contendunt interpretes: Et an etiam utendum sit armis cōtra  
inermem? Negamus utrunq.

Quemadmodum & illud cōtra alios inficiamur, propter rerum *Quaest.*  
& bonorum defensionem hominem impunè occidere licere.

23. Ita videmus cetera quoq. animalia, seras etiam, istius iuris pe-  
ritia censerī. l. 1. D. t. h. Inst. ibid.

24. Vbi inficias non imus, in feris, cum ratione careant, a. &  
neq. consilij neq. electionis, b. ad quam διακρίσις & discursu opus est,  
participes sint, ius considerari non posse: c. καὶ ὁμοιότητά τamen &  
similitudinem ipsis iuris quidam vsus adscribitur. a. Aristot. lib. 7. Po-  
lit. cap. 13. b. Aristot. lib. 3. Ethic. cap. 2. c. l. 1. D. Si quadr. paup.

25. Ita Philosophus lib. 6. Ethic. cap. 7. bestias quasdam pruden-  
tes esse ait, eas scilicet quae habent διύναμις τῶν ποικίλων rerum ad vitam  
necessariarum. Quod lib. 1. Metaph. cap. 1. repetit.

26. IUS GENTIUM est quo gentes humanae utuntur, quod  
à naturali recedit. Istud enim omnibus animalibus: hoc solis homini-  
bus inter se commune est. l. 1. D. de iust. & iu. §. 2. Inst. de iu. nat.

27. Huius iuris, praeter bella, captiuitates, seruitutes, manumif-  
siones, sunt commercia, emptiones, venditiones, locationes, conductio-  
nes, exceptis quibusdam, quae à iure ciuili institutae sunt. l. 4. & 5. D. h. t.

Heic quæri non incommode potest, quomodo seruitus sit iuris gen- *Quaest.*  
tium, cum tamen cōtra naturam esse dicatur.

28. IUS CIVILE est quod neq. in totum à naturali vel gen-  
tium recedit, nec per omnia ei seruit. l. 6. D. h. t.

29. Rectius tamen Gaius in duo genera ius omne diducit, in pro-  
prium & commune. Commune seu gentium est, quod naturalis ratio  
inter omnes homines constituit, id apud omnes homines per aequè custo-  
ditur, vocaturq. ius gentium: Sic dictum q. quo iure omnes gentes utan-  
tur. l. 9. D. h. t.

30. Proprium seu civile ius est, quod quisq; populus ipse sibi constituit, sic dictum q. ius proprium ciuitatis. d.l.9.
31. Huic distinctioni adsentitur Paulus l. pen. D. h. t.
32. Nec heic à Iureconsultis Philosophi abeunnt. Aristot. enim lib. 5. Eth. cap. 7. species iuris ciuilem duas recenset. Vnam vocat ius φυσικόν naturale & πρώτον alibi. Alteram νομικόν, quod etiam με φυσικόν, ἀνθρώπων, κατὰ συνθήκην καὶ τὸ συμφέρον nominatur.
33. Hoc igitur ius civile constat aut ex scripto, aut sine scripto l. 1. D. h. t. Vt apud Græcos τῶν νόμων ὁ μὲν ἐγγράφοι οἱ δὲ ἀγράφοι. Plato lib. 8. Polit. Arist. lib. 1. Rhet ad Theod. cap. 10. & lib. 8. Ethic. cap. 13.
34. Ius scriptum dicitur quod publica auctoritate in scriptis redactum est, cum bono & honesto Reipubl.
35. Partes eius sunt 6. Lex, Plebiscitum, Senatusconsultum, Principum placita, Magistratum edicta, & responsa prudentium. l. 7. D. h. t. Inst. de iu. nat. §. 3.
36. Lex ἐν τῷ πλάτει definitur commune præceptum, virorum prudentium consultum, delictorum quæ spontè vel ignorantia contrahuntur coercitio, communis Reipubl. sponsio. l. 1. D. de ll.
37. Magis proprie lex est ius scriptum, quod populus Romanus Senatorio magistratu rogante, veluti cōsule, constituit. Inst. de iu. nat. §. 4.
- Quest. Neg; solam scripturam legem facere dicimus, neq; solam rationē.
- Quest. Imò non statim ratione legis existente, utiq; & lex siue ius est.
- Quest. De scemina an legem ea facere possit, disputant interpretes. Et non dubitamus, quin ea quæ summum habet imperium possit.
- Quest. Vtrum rectè ab interpretibus vulgò dicatur, Legem esse de dubitabili. Negamus. Sed hanc questionis & consultationis propriam notam esse adserimus.
38. Plebiscitum est ius speciale, quod plebe: plebeio magistratu rogante, veluti Tribuno constituit. Inst. d. t. §. Plebiscitum.
39. Senatusconsultum est ius quod Senatus Romanus iussit atq; constituit. l. D. de ll. Inst. de iu. nat. §. 5.
40. Principis placitum est ius voluntate principis constitutum. Populus enim, lege a. Regia ei & in eum omne suum imperium & potestatem concedit. b. a. l. 1. §. 7. C. de veteri. b. l. 1. D. de const. Prin. Inst. §. 6. de iu. nat.

Princeps



Princeps an solutus sit legibus. *Affirmamus. Imò negamus.* *Quaest.*

Vtrum solus Imperator interpretes sit legum. *Affirmat. l. 9. & ult.* *Quaest.*

C. de ll. Imò etiam Iureconsulti sunt interpretes legum.

41. Magistratum edicta sunt ea, quae praetores constituerunt. Quod ius Honorarium solemus vocare, eò quod qui honores gerunt, id est, magistratus huic vni auctoritatem dederunt. l. 7. D. de iur. & iur. Inst. §. 7. de iur. nat.

42. Responsa prudentium sunt sententiae & opiniones eorum quibus permissum erat de iure respondere, idque publicè interpretari. Pomp. l. 2. D. in fin. de fin. de Orig. iur. Inst. de iur. nat. §. responsa prud.

Quaesitum est, vtrum Iudex responsa aliquot prudentium pro se. *Quaest.* habens, litem suam facere dicatur, an excusetur. Cum distinctione respondebimus.

34. Ius non scriptum est quod sine scripto natum & pro iure receptum est.

44. Partes eius duae sunt: consuetudo & aequitas.

45. Consuetudo est ius non scriptum diuturnis vtentium moribus constitutum, quod in legem abit, si lex abest. l. 32. D. de ll.

46. Huius vis tanta est, vt pro iure & lege in his, quae non ex scripto descendunt, obseruari soleat. l. 33. D. de ll. Et vt ea quae longa consuetudine comprobata sunt, ac per plurimos annos obseruata, velut tacita ciuium conuentione non minus quam ea, quae scripta sunt iura, seruentur. l. 35. t. eodem. Idem agnoscit Aristot. lib. 2. metaph. cap. 3.

In consuetudine inducenda, an secundum glossam rectè decennium *Quaest.* sufficiat. *Negamus.*

Quemadmodum nec duobus actibus cum interpretibus communiter contenti sumus.

Vtrum legis an consuetudinis maior sit auctoritas.

47. Aequitas est ius non scriptum ad scripti iuris correctionem & supplementum eius quod deerat, ac commodatum.

Aequitatem aliquam scriptam esse affirmantibus contra dicimus. *Quaest.*

Rectè aequitatem in ciuilem & naturalem distinguere asserimus.

48. Iam causas iuris ponemus. *SUBIECTVM* Iuris sunt actiones legitima, in quibus honestum aut inhonestum, iustum aut iniustum, vtile, aut inutile consideratur.

49. *OBIE-*

49. **OBIECTA** Iuris sunt persona, quae iudicium constituunt, id est, iudex, actor, reus, & quae his accedunt, adfessores, aduocati, procuratores: Et res, quae est materia, de qua contenditur.
50. Forma cum duplex sit, alia *boni* & interna: alia externa & accidentalis: interna forma erit ipsa iustitia, à qua non nomen tantum, sed & ESSE accipit. l. 1. D. h. t.
51. Externa pro vario constituendi modo, erit varia.
52. Causa Iuris efficiens primaria est DEVS, qui vt omnium bonorum auctor, ita & iustitia atq; iuris fons est.
53. Secundaria eaq; propinqua est iustitia vniuersalis: Remota consensus eorum qui ius constituendi potestatem habent.
54. Effectus omnis iuris generalis est iste, vt subditos ad scientiam, obedientiam & poenam obliget. l. 2. ff. de ll.
55. Specialis: iuris quidem naturalis maris & foemina coniunctio. l. 3. D. de iust. & iu. Inst. de iu. nat.
56. Iuris gentium effectus est, Dominiorum distinctio, commercia, contractus &c.
57. Ciuilis sunt varij. Quaecunq; enim nouam formam à iure ciuili acceperunt, cuius ratione distinguitur populus vnus ab alio, ea iuri ciuili adscribenda sunt,
58. Finis est iustitia: atq; inde ad populum veniens utilitas, iuxta illud: *suprema lex salus Populi esto.* Et istud Aristot. 1. Rhet. 4. *salus ciuitatis in legibus.*

F I N I S.





